



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med 1. de Esse Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo scribamus, quam Deo gratias? hoc nec dici breuius, nec audiri latius; nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.

Epist. 77. ad mediant.

Hic manet explicata illa diligentia, quam ex parte nostra, in his meditationibus adhibere possumus, ad earum finem assequendum; ita cooperantes diuinæ gratiæ, cui potissimum tota spes nostra innititur; & diffidentes nostris diligentibus, quin potius cum omnes adhibuerimus, dicamus, quod Christus iussit: serui in-

h Luc. 17. 10

utiles sumus, quod debebamus facere fecimus; nec digni sumus tam dulci & excelso premio, atque est donum contemplationis; satisque nobis est, quod ad gloriam Dei illud obtinere cupiuerimus, qui etiam desiderat, illud concedere; & concedet vel in hac vita, si ita nobis expediet; aut certe in futura, ubi clare Deum ipsum contemplantur, ac omnibus charitatis viribus in æternum diligemus. Amen.

MEDITATIO I.

DE ESSE DEI.



VNDAMENTVM omnium veritatum Catholica nostra fidei, vt ait Apostolus, est: a credere, quia Deus est; credere in-

a Heb. 11. 6. S. Thom. 1. p. 2. a. 3.

intel.

intelligere, quod intra spectabilem hunc mundum, sit Spiritus quidam supremus & inaspectabilis, qui sit principium & finis rerum omnium, quas omnipotentia sua creavit, sapientia gubernat, & ad seipsum tanquam ad finem ultimum dirigit: & hunc spiritum vocamus Deum. Ad hanc veritatem bene capiendam, dedit nobis ipsemet Deus, præter lumen fidei, alios quoque Magistros & predicatores, qui nos eam doceant, & in memoriam, ad nostram utilitatem, reuocent: sicut in subiectis punctis constabit.

## PUNCTVM I.

**P** R I M V M itaque perpendam, omnes creaturas huius mundi, esse tanquam predicatores huius veritatis: nam cæli cum suis planetis & stellis, aër cum suis aëribus, aqua cum suis piscibus, & terra cum animalibus, plantis, & reliquis mixtis, omnia clamant & fatentur, quod seipsa non fecerint, nec ordo, qui in illis est, casu aliquo, aut dispositione sua ita sit constitutus; sed quod Deus illa fecerit, ac, sicut nunc sunt, disposuerit: quod si linguam haberent, omnia illa elata voce clamarent, ac dicerent illud Psalmi: *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Et sicut videntes elegantissimam aliquam imaginem, aut palatium aptissimè fabricatum, statim intelligimus, peritissimum aliquem pictorem aut Architectum illa fecisse, & in finem aliquem extulisse; statimque oritur in nobis desiderium illum cognoscendi; & alios interrogamus, ut illum

a Psal. 99. 3.

//

illum

illum nobis indicent: ita videntes pulchritudinem creaturarum, & earum ordinem, possumus statim (vt ait diuina scriptura) intelligere, quod sit Deus, qui illas fecerit; & in tanto ordine & consonantia gubernet, in finem aliquem valdè gloriosum: ideoque merito excitabitur in nobis appetitus & desiderium, illum cognoscendi; & intelligendi, quis sit: vt eum amemus, & vt par est, ei seruiamus: & hoc spiritu aspicere debeo creaturas omnes, & earum voces ac monita audire. Aliquando itaque, animæ oculos eleuans ad creaturas cœlestes, & ordinem ac motus, quos seruant Sol, Luna, Planetæ, ac cætera sydera; intelligam (vt ait Dauid,) quod ipsi b cœli enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annunciet firmamentum: dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam, & infinitam sapientiam Dei; gaudeboque, quod sit vnus Deus, qui hæc omnia conseruat & gubernat. Aliquando faciam, quod suadet Iob, dicens: c *interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris: interrogabo inquam, quis eam pulchritudinem eis communicauerit, fœcunditatem, & cognitionem, quam habent temporum; & eorum, quæ ipsis vtilia aut noxia sunt; & statim cogitabo, mihi responderi: hoc quod habemus, non est nostrum; sed est vnus Deus, qui nobis illud dedit. d *Quis enim ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit. Quo respon-**

b Psal. 118. 1.

c Iob. 12. 7.

d Iob. 12. 9.

VI. Part. Medit.

b

so, ex-

fo, exultabo in meipsum, orans eundem  
 ipsum DEVM, vt meas aures aperiat, ad  
 audiendas vocēs harum creaturarum, qui-  
 bus exciter, ad ipsum cognoscendum, & ex  
 toto corde diligendum; ipsas verò creatu-  
 ras prouocabo ad laudes magni huius DEI  
 qui est in medio illarum, dicens Canticum  
 illud trium puerorum: *e Benedicite omnia  
 opera Domini Domino, laudate & superex-  
 altate eum in secula, & cxt. f O Civitas &  
 habitatio Sion, exulta & lauda, quia magnus  
 in medio tui Sanctus Israel. O Anima mea,  
 ascende per contemplationem, supra hanc  
 Sion, & speculam mundi; & circumspicens  
 omnes creaturas, lauda, benedic, & glorifi-  
 ca ingenti gaudio & lætitiæ iubilo DEVM  
 immensum, qui est in medio earum. O Deus  
 immense, gratias tibi, quam possum maxi-  
 mas, qui g non sine testimonio te ipsum reli-  
 quisti, in omnibus creaturis benefaciens: de  
 celo, dans pluuias & tempora fructifera, im-  
 plens cibo, corpora nostra, & lætitia corda  
 nostra. Aperi, Domine, oculos animæ meæ,  
 vt non contenti aspectu rerum tempora-  
 lium, quas percipiunt sensus; ascendam,  
 ad contemplanda æterna, quæ non videntur;  
 & te DEVM inuisibilem, qui es super omnia,  
 cui sit gloria in æternum. Amen.*

e Dan. 3. 17.

f Isa. 12. 6.

g Act. 14. 16

IN hoc gratitudinis affectu hærendum  
 mihi est, vt infinitas gratias DEO Domi-  
 no nostro agam, ob notitiam, quam dedic-  
 nobis huius veritatis; & ob testium multi-  
 tudine

eudinem, quos adhibuit, qui pro ea testimonium ferrent.

## PUNCTVM II.

**D**EINDE considerandum, quod etiam intra nos ipsos sint multa, quæ prædicent, & fidem faciant, quod sit Deus: quare, si consideratione ingrediar intra ipsum mundum abbreviatum; hominem videlicet, & nominatim me ipsum; ex cognitione eorum, quæ ibi inueniam; peruenire licebit in hanc cognitionem, quod sit Deus. Ac forte propterea dixit Dauid: *mirabilis facta est scientia tua ex me*, atq; si diceret, admiranda est, DEVS meus, scientia & cognitio, quam de te habere possum, ex his, quæ in me deprehendo.

a Psal. 138. 6

NAM primò, intra me ipsum impressum habeo lumen naturæ, iuxta illud Davidis: *b signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti letitiam in corde meo*. Est itaque illud lumen, splendor quidam, procedens ex vultu ipso Dei; nobis quæ manifestans, quod est bonum, & ipsum, qui est summum bonum, à quo omne bonum procedit: cui lumini coniunctum quoque est pondus quoddam, & propensio naturalis, quæ nos vrget ad id, quod est conforme rationi; & regulæ omnis bonitatis, qui est ipse Deus: trahit quæ ad eundem amandum, & colendum, & ei obediendum: & quando nostra peccata, non suffocant illam scintillam, aut non

I.

b Psal. 4. 7.

b

z

extin

extinguunt splendores huius luminis, frequenter experimur in nobis, quasi fulgura quædam, quæ tum hanc veritatem nobis manifestant, tum implent corda nostra lætitia.

II. DEINDE, intra meipsum animæ tantam pulchritudinem, & varietatem potentiarum, & sensuum exteriorum & interiorum; tantamque multitudinem ossium, venarum; arteriarum, & innumerabilium aliarum partium, adedò stupendo ordine inter se connexarum ut eadem ipsæ clament ac dicant, se non casu factas, nec seipsas effecisse; sed esse DEVM supremum artificem, à quo omnes processerint, & admirando illo ordine dispositæ: ut meritò David dixerit: *c omnia ossa mea dicent; Domine, quis similis tibi!* O Deus infinite, ossa mea, & arteriæ meæ, venæ, oculi mei, & aures, & omnes telæ, ac particule omnium membrorum meorum, sensusque omnes, hoc testantur, hoc dicunt, quòd tu sis Deus, & non sit alius similis tibi; qui esse, quod habet, dare illis posset, nisi tu dares. O si omnes illæ in linguas conuerterentur, ut hanc veritatem toti mundo manifestarent: te verò laudarent, glorificarent, ac propter eam benedicerent.

c Psal. 34.  
10.

III. PRAE OMNIBVS tamen, spiritus nobilissimus, qui intra corpus nostrum latet, clamat, quòd sit spiritus alius supremus

mus

mus intra hunc mundum, quamuis non illi  
astrictus: si enim meipsum consideratione  
ingrediar, aduertam animæ meæ nobilita-  
tem, ex stupendis operibus & actionibus, quæ  
à tribus eius facultatibus procedunt, memo-  
ria scilicet, intellectu, & voluntate, libero-  
que eius arbitrio, quæ ipsæ facultates non  
sunt ipsi corpori alligatæ; sed exeuntes, de-  
ambulant per ambitum totius terræ, maris, &  
aeris, penetrantque ipsos cœles; & assequū-  
tur secreta naturæ, quæ sensus ipsi non per-  
cipiunt. Ex quo procedunt innumeræ artes,  
& scientiæ, & modi admirandi, artificia; di-  
spositiones, & directiones prudentiæ, in ne-  
gotiis gerendis, in gubernando: &c. quibus  
rebus deprehendimus, animam nostram esse  
spiritum inuisibilem, immortalem; nec in  
suo esse dependere à corpore, cui illa ita est  
inclusa, vt, corpore dissoluto & pereunte,  
ipsa tamen subsistat ac permaneat: quo exple-  
tur naturalis eius propensio, & desiderium  
immortalitatis, ac vitæ perpetuæ. Hoc autem  
totum apertè proclamat, esse Deum, spiritum  
inuisibilem, & immortalem, à quo reliqui  
omnes spiritus procedant, qui sit in medio  
huius mundi, dans esse & vitam rebus omni-  
bus; non sicut anima, quæ corpus informat,  
sed altiori alio modo, quo omnes creaturas  
gubernat, communicans illis artes omnes,  
& scientias, industrias, & naturales incli-  
nationes, quas habent, sine vlla tamen ab eis  
dependentia. nam etiamsi vniuersa mundi

d Psal. 138. 6

machina dissolueretur, DEVS tamen in seipso permaneret. O DEVS immensæ maiestatis, nunc verè confiteor, d*mirabilem factam esse scientiam tuam & cognitionem* tui, ad quam pervenio; *ex me & iis*, quæ in me deprehendo, si enim in re aded rudi, atque est corpus meum, & spiritus quidam aded nobilis, anima scilicet mea, quæ illi dat esse, & vitam, & illud gubernat; in quo, & pro quo facit res adeo stupendas: quanto magis necesse est, te esse in medio huius amplissimi orbis, qui spiritus es supremus, per quem omnes sumus, vivimus, & movemur: siquidem ergo tu es meus esse, & vita mea, volo etiam te appellare animam meam; & exultare, quod te habeam DEVM quem summe, plus quàm me diligam! O si te omnes & agnoscerent, & diligerent plus quàm vitam suam, & animam suam! siquidem tu es instar vitæ & animæ omnium: cui sit gloria & laus in æternum. Amen.

## PUNCTVM III.

**T**ERTIÒ considerandum, non solum pulchritudinem, concordiam, & ordinem rerum, quæ sunt in magno isto, & in paruo & abbreviato hominis mundo, sed etiam omnes motus, tumultus, & inuersiones ordinum, perturbationes, & confusiones etiam particulares, miseras omnes,

labo.

labores & calamitates; à quibus, homines, viribus nostris nos liberare & expedire non possumus, omnia hæc inquam esse tanquam excitatores, qui nobis reuocāt in memoriam, quòd sit Deus.

TONITRVA, fulgura, & fulmina è cœlo, niues, grandines, glacies, venti, & aliæ aëris tempestates, fluctus maris, inundationes fluminum, terræ motus, morbi, bella, & omnia, quæ nos affligunt, etiam clamant quòd sit DEVS, qui possit his malis subuenire. Quamobrem, cùm aliqua harum calamitatum premimur, natura ipsa duce, statim DEI recordamur, & oculis in cœlum leuatis, remedium petimus ab eo, qui possit succurrere: ipsa enim ratio hoc nobis dicat, esse aliquem, qui id præstare possit, iuxta illud Regis Iosaphat ad DEVM: *a cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Ipsa etiam peccata, iniustitiæ, & iniuriæ, quas hi ab illis patiuntur, clamant quòd sit DEVS, ad quem spectet ista scelera castigare, & præmium virtutibus reddere: siquidem in terra non est, qui hoc plenè & exactè faciat.

PRAETEREA ipsa pugna & contradictio, quam intra me ipsum experior ex rebellionem carnis, contra Spiritum; & perturbationem animi, contra rationem; etiam clamat, quòd sit DEVS, cuius virtute possum subiugare, quos propria non possum.

I.

a 2. Paral.  
20.12.

II.

Hac consideratione, par est, me ipsum consolari, & spiritum sumere, tam in meis calamitatibus quàm in alienis; tam in priuatis malis, quàm in communibus; & ex mundi malis, venire in cognitionem summi boni, qui intra ipsum est, ad quem pertinet ea mala amoliri. Aperi, Anima mea, oculos, & circumspice ipsum orbem, & quæ intra te sunt, & aspice res omnes prosperas & aduersas, & mox aures arrige: vt audias, quæ tibi dicunt; & audies omnes clamantes, quod in medio illarum *sit Deus*, qui prosperitatem dare, & aduersitatem depellere possit. Latere itaque his gratis nouis, & stude cum Apostolo fidelitatem tuam ostendere, pugnando *b per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris*, in prosperis scilicet, & aduersis; seruiens in vtrisque ei, qui se in omnibus Deum ostendit; ac propterea dignus est, qui ab omnibus laudetur, Amen.

b 2. Cor. 6.7

EX HIS considerationibus deducam, quanti referat habere viam fidem, & certum lumen huius veritatis, ac memoriam eius continuam; quia illa est frenum omnium vitiorum, & calcar omnium virtutum; cum contra defectus in hac fide, & eius obscuritas, huiusque veritatis obliuio, causa sit omnium peccatorum, quæ sunt in mundo; omnium tepiditatum & imperfectiorum, quæ sunt circa diuinum obsequium: nam ideò DAVID: statim, atque

c Psal 13.1.

*quæ dixit insipiens in corde suo: non est*

*Deus*

*Deus, adiecit; corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis: non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Sicut si in aliqua Republica intelligerent homines, non esse Regem, non Iudicem, aut Iustitiam; mox, vt effrenes, in mille scelera alij aduersus alios erumperent. Idem ergo damnum adfert obliuio huius veritatis, quòd sit *Deus*; sicut dicitur in Iob: *d sic via omnium, qui obliuiscuntur Deum.* d Iob. 3. 13.

Et propterea scriptura Diuina, in Lege, in Psalmis & Prophetis, vehementer hoc exigit, ne Dei e *obliuiscamur*, sed semper eius memores simus; si enim meminerimus esse Deum, non peccabimus; viuemus pacati & contenti, laeti, confidentes, & animati, ad virtutes omnes exercendas, iuxta illud Dauidis: *f memor sui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, donec defecit spiritus meus.* e Deut. 6. 13. f Psal. 76. 4.

HINC etiam magnam concipiam compassionem erga eos peccatores, g qui verbo *confitentur se nosse Deum, &* (vt ait Apostolus) *factis negant*; expendens, quàm graue malum sit vel vnum peccatum lethale: siquidem, quod est in ipso, h *negatio* quædam est, *contra Deum* h Iob. 31. 28. *altissimum* & protestatio practica, quòd non sit *Deus*, cui sit obediendum; aut qui possit illud castigare. Ego tamen contra, protestabor hanc veritatem corde, & lingua, & operibus: & gaudens, quòd sit *Deus*; & gratias ei agès, quòd fidem mihi dederit huius veritatis; & studebo diligenter, eum in memoria mea semper habere; ipsas creaturas accipiendo tanquam ex-

citatores obliuionis meæ, vt statim atque illas aspexero, memor sim, quòd sit Deus, à quo illæ & ego habemus, quòd simus: cui sit honor & gloria in æternum. Amen.

MEDITATIO II.  
DE AETERNITATE DEI  
& quod ipse sit solus  
QVI est.

PUNCTVM I.



RI M ò est considerandum, non solum esse certissimam veritatē, quòd sit DEVS, sed etiam, quòd idem necessariò sit, fuerit, & semper sit futurus, nam eius ESSENTIA est

S. Thom. 1.  
p. q. 3. a. 4.  
q. 11.  
q. 10. a.  
2. q. 3.

Exod. 3. 14

ESSE: ita enim interroganti Moyse Deum, quod esset eius nomen, respondit Deus, a EGO SVM QVI SVM: sic dices Filijs Israel QVI EST, misit me ad vos: atque si illi dixisset, meum proprium nomen est ESSE QVI EST; & mensura essentia est, ESSE SEMPER; vt non sit possibile desinere esse: sicut non est possibile, quod homo non sit rationalis, aut quod lapis non sit corpus.

I.  
Ioan. 1. 1.

FUIT itaque Deus, antequam esset iste mundus, ita vt, si cogitatione fingerē, ante miliones millionum annorū præcessisse hunc mundum.